



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

25. Conversio S. Pauli.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

Conversio Mirabilis S. Pauli Gentium Apostoli.

EXHORTATIUNCULA I.

ECce! & nos persecuti sumus Jesum cum rebeli Saulo. Sit tandem ô fili! finis peccando! surgamus, & convertamur ad Jesum, qui tamdiu jam expectat nos. Convertamur per seriam pœnitentiam, per solidam morum conversionem, & continuam sensuum, & corporis mortificationem. Simus Jesu amatores, & nostrum generosi persecutores. Sic sic placabitur provocata offensionibus Dei Justitia.

Instructio meritoria.

Ad impetrandam tum nobis, tum aliis seriae & integræ conversionis gratiam, recitemus *Litanias majores*; offeramus & Sacram Communionem pro illuminatione gentium, & gravissimorum peccatorum. Qui hoc negligit charitatis opus, timeat, ne gravius cadat.

II.

Quæso, dilecte! quid nos retardat à celeri conversione, & hominis

200 XXV. Januarii. Conversionis S. Pauli Ap.
renovatione? tantane difficultatis con-
verti ad Dominum? liberari à vinculis?
redimi à jugo dæmonis? an ergò non
gravius onus, currere, & ambulare viam
iniquitatis? fili! in puncto salutis, quàm
cæci! quàm pigri! quàm & stulti su-
mus!

Instructio meritoria.

Abstergamus hanc nostram cæcita-
tem, & quia petulans corpus causa est
unica dilatae conversionis, actu rigoris
coërceatur, & sacrò cilicio humilietur:
Scriptum est enim: Qui odit animam
suam in hoc mundo, in vitam æternam
custodit eam.

III.

E Turbis, periculis, & impietatibus
misericorditer vocati sumus, ut
essemus vas electionis Deo, Ejúsque No-
men portaremus coram gentibus, infi-
delibus, & peccatoribus. Sed quomo-
do? verbò, & exemplò; plùs tamen
exemplò veri, & zelosi Christiani, ô fili!
Quanta vocationis nostræ obligatio! ubi
retributio? vivamus *alii*: & solvimus
factis.

In-

Instructio meritoria.

Excutiamus insuper segnitiam nostram, & hodie flectentes versus quatuor mundi partes oremus *quinque Pater & Ave*, ut Deus submittat viros Apostolicos, quorum spiritu, & zelô animæ jamjam de salute periclitantes feliciter salventur, & hæ quàm plurimæ. Chare! justa petimus: Impetrabimus. Solùm orantibus non desit constantia.

Solemnitas S. Joannis Chrystomi, Magni Ecclesiæ Doctoris.

EXHORTATIUNCULA I.

ECce! Magnum Ecclesiæ Oratorem! magnum verbis: majorem factis, maximum virtutum exemplis. Hi gradus sunt, quibus ducimur ad montem religiosæ perfectionis, & miræ sanctitatis. Fili! scandere lubet? sit nostra comes generositas, & Christiana prudentia. *Fortitudo, & laus mea Dominus.*

Instructio meritoria.

A verbis incipiamus, & bonos discursus, ac colloquia religiosum decentia inducere inter nostros, vel promovere fa-